9

+ 1235.

Gregorius Episcopus Servus Servorum Dei

Ven. Fratri W. Episcopo quondam Mutinensi

Poenitentiario nostro, Aplicae Sedis Legato

Salutem et Aplicam Benedictionem

Facultas instituendi et consecrandi Episcopos in Revalia et Wironia

1235.

Licet Episcoporum translatio, et mutatio sedium ad Romanum Pontificem de iure pertineat, nec sint absque ipsius licentia faciendae, utrumque tamen tum demum debet ferri, cum urgens neceſsitas, et evidens utilitas id fieri persuadeat. Cum itaque, sicut nostris fuit auribus intimatum, in Revalia, Wironia, et quibusdam aliis terris legationi tuae commiſsis tanta sit temporalium rerum inopia, quod non solum unius uni, sed etiam vix duorum Episcopiscopatuum uni Episcopo sufficiant facultates, et propter defectum Episcoporum salus

negligitur animarum. Nos volentes ipsarum saluti consulere, ac devotionem tuam prosequi gratia speciali, ut creditae tibi legationis officium ad honorem Dei et animarum salutem proficiat, earundem tibi praesentium auctoritate concedimus ut Episcopatus unire atque dividere valeas, et transferre de uno loco ad alium, instituere de novo Episcopos, et consecrare, et limitare Episcopatus, ubi expedire videris in praedictis terris cum utilitas et necessitas hoc exposcant, in Revalia, et Wironia, Lundensis Ecclesiae iure salvo. Contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione remota, compescendo. Datum Viterbii Nonis Februarii, Pontificatus nostri anno nono.

Descriptum, et recognitum ex Libro ms., cui titulus = Nunziatura

di Polonia, tom. 12. pag. 323. t.o, qui adservatur in Tabulariis Se-
cretioribus Vaticanis. In quorum fidem hic me subscripsi, et solito
signo signavi.

Dabam e Tabulariis praefatis Nonis Maiis MDCCCXXXVII. Indi-
ctione X., Pontificatus vero SSmi in Christo Patris, et Dni
nri, Dni Gregorii div. prov. PP. XVI. an. VII.

M. Marini
Tabularior. S.R.E. Praefectus